

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0840

0838

0844

0834

0849

0829

0889

0789


0939

0739

0339

Ende

Anfang



267

victoria potiti fuissent, si non affuisset adiutorium et consolatio defunctorum in bellis prioribus. Sicut etiam ad preces sancti Basilii beata Virgo resuscitavit Mercurium, fortissimum militem, a Juliano Apostata martyrizatum, ut ipsum Julianum interficeret, sicut et fecit, sic resuscitati sunt strenuissimi a Sarracenis interfecti, ut debitam de iis vindictam sumerent, unde manifeste visi sunt pugnare cum pugnantibus et infideles trucidare et loca sancta cum vivis circumeundo visitare et lateraliter cum eis, quos socios in vita habuerant, incedere. In quo manifeste dabatur intelligi, quia etsi vita decesserant corporali, ad aeternam tamen vocati beatitudinem non sint fraudati desiderio suo, sed quod pio expetierant studio, pleno sunt effectu consecuti. Finita ergo processione urbem et templum mundaverunt, ejicientes maledictorum cadavera extra muros et sanguinem noxium abstergentes, undique erigentes coquinas per urbem et dispensatores necessariorum disponentes, et ita transierunt octo dies.

De hac clarissima victoria habentur multae historiae heroico confectae sermone a disertissimis et eloquentissimis oratoribus, Italicis, Graecis, et Gallicis, qui eam suis ascribunt gentibus. Et quia nulla memoria fit ab eis Theutoniorum, quorum tamen robore Gothfridus omnia haec peregit, unde Aeneas Sylvius, poeta laureatus, in oratione ad principes Alemanniae et ad nobiles Sueviae facta Francfordiae pro occurso Turcorum sic dicit: Scio, inquit, Gothfridum, qui fuit Lotharingiae dux, cum solis transrhenanis Theutonibus et Suevis et aliquibus Gallis et paucis Italis terra marique regna percurrisse et sepulchrum Domini a jugo Sarracenorum liberasse.

Catalogus latinorum regum Jerusalem et regni Jerusalem principum apud Christianos.

(274 A) Christiani itaque occidentales anno dominicae incarnationis 1099. die quinta decima Julii ceperunt civitatem sanctam Jerusalem, eripientes eam de manu et potentia gentilium, et veris haeredibus eam assignaverunt, filiis regni, fonte baptismatis renatis, Christicolis, a quibus iam alienata